



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

**Schlüter, Georg**

**Augustæ Vindelicorum, 1708**

Qvæstio VIII. In Tit VIII. De Concessione Præbendæ, Et Ecclesiæ non Vacantis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)


¶ II. ac reddente hanc rationem, quia *instituere est jurisdictionis*, unde transit in Capitulum hæc potestas Sede vacante c. 1. h. t. in 6. Sed omnia, quæ sunt juris dictionis competunt vicario Episcopi, nisi à jure exceptum sit: ergo & institutio in beneficiis, quamvis non possit Vicarius beneficia conferre c. ult. de offic. Vicarii in 6. Joan. Dartis de benefic. sect. 3. c. 10. nam non est par ratio institutionis, quia instituere est necessitatis; conferre autem beneficia, gratuita donationis; ideoque Vicarius potest instituere; non autem, beneficia conferre, absque speciali commissione.

800 Not. 4. jus instituendi posse de jure speciali pertinere etiam ad non Episcopum, ut dicitur in c. cum venissent. 6. h. t. Unde si talis possidet jus instituendi, ad quem de jure communi aliàs non spectat, pendente lite proprietatis cum Diocesano, in possessione defenditur, sic Innocentius III. in dict. c. Cum venissent: Vivianus in rationali l. 3. pag. 66. & alii. Ex eodem textu deducitur, quod agenti possessorio possit quidem opponi exceptio dominii, seu proprietatis; sed solum, si eam probare possit in continenti, si enim est alioris indaginis, ei locus esse non debet, ut diximus alibi, sic Mascard. de probat. conclus. 987.

801 Not. 5. quando in c. Cum ad nostram 7. h. t. dicitur, quod is, ad quem spectat collatio beneficiorum, vel presentatio ad illa, non possit sibi ipsi conferre, se ipsum presentare, vel instituere; & ratio redditur: quod inter dantem, & accipientem debeat esse distinctio: ratio hæc adducta ab Innocentio procedat in presenti casu institutionis, quoad beneficia, vel dignitates, ex speciali juris Dispositione, videlicet ad evitandam ambitionem, qua ratione ne-

mo in alienationibus, ubi proprium commodum versatur, & per consequens fraus dari potest, sibi auctor fieri valet. L. 1. ff. de auct. tut. ubi plura Gothofredus. Clem. 2. de rebus Eccles. quam rationem ambitionis expressit Pontifex in dicto c. per nostras, ibi: quia nullus ingerere se debet Ecclesiasticæ Prælationis officiis. Quare juxta hanc juris dispositionem dixit Innocentius in presenti, inter dantem, & accipientem debere dari distinctionem personarum, in eo videlicet casu, de quo agebatur, cum in aliis actibus, ubi non datur hæc specialis ratio, non desideretur eadem distinctio personarum. Hinc:

In aliis actibus humanis indefinite non procedit; nam in actibus jurisdictionis voluntaria, & similibus, non repugnat eundem plurimum personam sustinere, ut in casu L. Si Consul 3. ff. de adopt. ibi: si Consul, vel Præses, filius familias sit, posse eum apud semetipsum vel emancipari, vel in adoptionem dari; constat ex L. unic. ff. de offic. Consul. c. Quod sicut. §. super eo. de elect. c. à Collatione. de appellat. Unde dispensare potest Prælati in legibus à se positis, & in votis, ac iuramentis propriis, sicut cum subditis, Sanchez lib. 8. de matr. D. 3. & lib. 4. Summe c. 37. n. 2. Suarez de legib. l. 6. c. 12. Salas cod. tract. D. 20. sect. 12. Basiliius Pontius de matr. D. n. 9. Dixi jurisdictionis voluntariae; nam quod actus forenses, & jurisdictionis contentiose, regulariter vera est prædicta ratio, ut ait Ulpianus in L. Ille, à quo. 13. §. tempestivum. ff. ad Trebell. ibi: ipse se cogere non poterit; ex ratione adducta à Paulo in L. Si plures. 9. ff. de pactis ibi: Nam difficile est, ut unus homo duorum vicem sustineat.



## QVÆSTIO VIII.

### IN TIT. VIII. DE CONCESSIONE PRÆBENDÆ, ET ECCLESIE NON VACANTIS.

803 **T**itulo de præbendis, & institutionibus in illis, subjungitur iste de concessionem præbendæ non vacantis. Nam, ut collationes præ-

Tom. III.

bendarum, & institutiones jure fiant, debent esse præbendarum vacantium. Dicuntur autem vacare, quæ, tametsi non pereant, & finiantur, possessore tamen de-

Aa 2

stituta

*stituta sunt.* Unde requiritur, quòd morte possessoris non extinguatur, sed remaneat, ut ab alio occupari possit, & ideo *pensio Ecclesiastica* non vacat, sed extinguitur morte Pensionarii; Secus *beneficium Ecclesiasticum*, nam hoc institutione suâ debet esse in se perpetuum, ut diximus n. 203. & 207. Sic Azor. p. 2. l. 7. c. 16. à q. 1.

## ARTICULUS I.

*Quot modis beneficia vacent?*

804 B. **Q**UOD tribus, nimirum aut factò tantum, aut jure tantum, aut factò simul, & jure. *Factò tantum vacat* beneficium, quando beneficiatus amittit possessionem, sed non titulum: ut, si vi ab illius possessione dejiciatur. *Jure tantum vacat*, quando quis autoritate Canonis, aut juris, ita beneficio privatus est, eò, quòd quippiam fecerit, ut sine monitione, sine citatione, & sine ulla alia sententia privationis, possit illud ordinarius conferre, quanquam is, qui ipso jure privatur, possideat factò beneficium. *Factò simul, & jure vacat*, cum obitu beneficiarii vacat, vel cum quis illud deponit, & nondum est alteri collatum. V. Azor. cit. fol. 15. ubi plures proponit vacandi modos, sed sub prioribus contentos.

805 Not. autem 1. beneficium *vacare tantum defacto*, non esse illud verè ac propriè vacare, seu non censerì verè vacans; cum taliter privatis detur regressus ad illud, ut dicitur in tit. de his, quæ vi, & in tit. de restit. spoliat. & ideo hæc ab alio, *tantum vacantia*, non possunt rectè impetrari. Beneficia verò, quæ *tantum de jure vacant*, non impetrantur rectè, nisi facta mentione possessionis coloratæ, si quæ penes alium sit; & hoc ideo, ne quàm temerè, causâ non cognitâ, fiat; Secus si possessio colorata non sit penes alium c. licet 9. de concess. præbend. quæ verò vacant utroque modo, rectè impetrantur.

806 Not. 2. *vacationis* appellatione juxta Felinum in c. Licet undique sub n. 2. de offic. delegati, & gloss. V. *vacabunt* in c. Si propter, de rescript. in 6. contineri omnem *vacationem*, seu vacandi casus. Igitur beneficium dicitur vacare, tum per mortem, tum per resignationem, tum per privationem, ut docet Flaminius de resig.

lib. 1. q. 5. num. 4. & lib. 8. q. 7. n. 136. Ampliatur etiam in materia pœnali, Staphil. in literis gratiæ. tit. de var. mod. vacan. n. 6. & Menoch. de arbitr. casu 201. n. 100. & in odiosis; qualia sunt rescripta ad beneficia propter ambitionem, ut tenet Nicol. Garcia de beneficiis p. 11. c. 1. n. 84. Quare, si in supplicatione fiat simpliciter mentio de vacatione, non expressò vacandi modo, continetur omnis modus vacandi, atque adeo impetrans beneficium vacans, illud consequitur; quocunque modo vacet; Sic Benedictus Peregryra in Elucidario à n. 1300. Unde & Garcia p. 11. c. 1. n. 3. ait, quòd expectativa de beneficio *vacaturo*, complectatur omnem vacandi modum.

Not. 3. communiter enumerari plures 807 modos in specie, quibus beneficia vacare contingit. 1. enim contingit vacare per mortem naturalem beneficiati c. susceptum, de Rescript. in 6. Deinde dispositione juris statuentis pro certis casibus beneficium *vacare ipso jure* ut si quis beneficiatus expressè, vel tacitè professionem emisit in Religione approbata per c. 4. de Regularib. in 6. 3. depositione, vel privatione beneficii per sententiam Judicis ob crimen; ut si Clericus, simplex homicidium eommittat, c. Clericis, ne Clerici, vel Monachi. 4. per liberam renuntiationem beneficii, de quo actum est l. 1. Decretalium tit. 9. de renunt. 5. per translationem, de quo actum est tit. 7. de translatione Episcoporum. 6. per ascensionem Secundi beneficii incompatibilis cum primo, de quo actum est supra n. 303.

Not. 4. ut beneficium, prout hic requiritur, *vacet per mortem beneficiati*, requiri, quòd ante mortem habuerit illud cum jure reali, seu *jure in re*, seu quasi dominio; sic Layman lib. 4. tr. 2. c. 17. n. 1. Ex quo sequitur beneficium electivum, non vacare per mortem beneficiati, *necdum confirmati*; nec Patronatum per mortem necdum instituti in eo, ratio est ex dictis. 2. ut non sit legitimâ potestate suppressum; Sic enim omnino extinguitur, nec unitum accessoriè beneficio alteri, nec beneficium de mensâ, nec beneficium Ecclesiæ non numeratæ, nec supernumerarium. & c. de quibus Garcia. p. 11. c. 2. & p. 12. c. 12. Layman cit. tr. 2. c. 16. Sic enim omnino extinguitur.

Not. 5.

809 Not. 5. beneficiatos, privatos ipso jure ob crimen, non teneri ejus possessionem dimittere ante sententiam Judicis declaratoriam criminis, ut diximus l. 1. decret. tit. 2. & cum communi docet Sanchez l. 2. Moral. c. 26. n. 7. imò nec antequam Judex sententiam exequat, nisi in ipsa sententia præcipiat, ut condemnatus statim beneficium dimittat, ita Sanchez cit. n. 8. Layman cit. c. 17. Azor. p. 1. lib. 8. c. 13. q. 8. Per privationem autem beneficii ipso jure decretam ob delictum, sic amittitur titulus, seu jus beneficii, ut post sententiam criminis declaratoriam, privatus, fructus à die criminis commissi perceptos, restituere teneatur, privandus autem, solum eos, quos percepit post latam sententiam, ita Sanchez cit. c. 26. Layman c. 17. Azor. c. 17. q. 2.

810 Not. 6. dispositione juris beneficiatum ipso jure privari beneficio in diversis casibus; primò, si expressè, vel tacitè Religionem à Sede Apostolica approbatam professus est, c. 4. de Regularib. in 6. Secundò, si Clericus matrimonium validè contraxit, c. 1. & 3. de Cleric. Conjugat. Tertio, si factus sit miles c. fin. eod. Quarto, si accipit Episcopatum, vel aliud beneficium incompatible c. 7. de elect. c. 28. de præbend. Quintò, si post adeptam Parochiam, infra annum à die acceptæ possessionis, non accepit suâ causâ Sacerdotium, c. 14. de Elect. in 6. Sextò, si adeptus Episcopatum, infra tempus à jure definitum (nimirum intra tres menses à die acceptæ confirmationis) non petiit consecrationem justo impedimento cessante, c. Cum in cunctis §. cum vero de Elect. aut post consensum electioni præsertum non petiit confirmationem. c. 6. de elect. in 6. Septimo, si dispensationem super pluralitate beneficiorum incompatibilium intra tempus, exhibitioni ab Ordinario præstitutum, non exhibeat. c. 3. de offic. Jud. Ord. in 6. octavo, si litigans de beneficio, sequestrationem decretam impedit, vel fructus sequestratos quoquo modo sequestrare præsumit; talis enim eo ipso jus in beneficio amittit. Clement. de sequestr. possess. Nonò, si Prælati alienet bona Ecclesiæ, vel Monasterii sine forma jure præscripta, vel in consulto Pontifice. Extravag. unic. inter communes. de reb. Eccles. non alien. Sed nota hanc constitutionem loqui de his

tantum, qui sunt inferiores Episcopo, & Abbate. Decimò, si quis vi occupavit possessionem beneficii, perdit eo ipso jus, quod ad illud habet, & vacat ipso jure, c. Eum, qui, 18. de præbend. in 6. Idem dic, si injustè, & scienter se intrudat, ut ibid: dicitur. Intrusus autem proprie dicitur, qui sine autoritate superioris, ad quem pertinet provisio, beneficium obtinuit. Barbof. in cit. c. n. 2.

Not. 7. privationem beneficii ipso jure decretam, ab ea, quæ fieri debet per Judicem, differre; nam ibi post sententiam Judicis declaratoriam criminis ita privatur quis beneficio, ut simul etiam privetur fructibus à die commissi criminis præceptis; Secundò beneficium vacans ipso jure ob crimen (v. g. homicidium simplex, perjurium, Sacrilegium, adulterium, concubinatum publicum &c. non posse permutari, vel resignari in favorem tertii. Sanchez l. 2. Moral. c. 26. n. 9. quod intellige de permutatione non rescindibili per Judicem: tertio etiam ante sententiam criminis declaratoriam impetrari posse, & alteri conferri, etiam non citato criminoso; sic Azor p. 1. l. 7. c. 17. q. 2. non tamen dari possessionem, cum alter adhuc possideat; Quarto, si criminofus moriatur post vacationem ipso jure incursum beneficium ejus non vacare per mortem ipsius, cum jam ante vacaverit à die commissi talis criminis; Secus si primò privandus esset per sententiam, & Reus ante hanc moriatur; Sic Azor cit. not. 8. quod nullum crimen, etiam depositione dignum, inducat privationem beneficii ipso jure, nisi sit expressum in jure; Sed Reus privandus sit per sententiam, & sic in dubio est præsumendum; sic Garcia p. 11. c. 10. n. 5. nam in poenis est benignior interpretatio.

## ARTICULUS II.

An qualibet vacatio sufficiat, ut beneficium impetrari, conferri vel promitti possit?

812 Propono hanc quæstionem propterea, quod in sequentibus ex proprio hujus tituli objecto maximè agatur, & tractetur quæstio, an, & qualiter concedi possint præbendæ, vel Ecclesiæ non vacantes? & quamvis ex prima parte hujus tituli, quæ est de concessione præbendæ, vel Eccle-

*sic*, occasione istorum verborum communiter interpretes agant etiam de aliis quæstionibus. 1. intra quod tempus conferri debeant beneficia vacantia? 2. ad quem devolvatur jus providendi beneficiis vacantibus propter negligentiam, seu moram culpabilem Collatoris in conferendo? Patroni in presentando? 3. quam vim habeant gratiæ expectatiæ, seu mandata de providendo? quia tamen de primo jam actum est à n. 774. de secundo à n. 779. deum etiam de tertio à n. 458. his remissivè solum indicatis hoc loco breviter ad quæstionem in titulo propositam procedendo:

813 *¶* de dicta quæstione tractari in c. *Cum in nostris*. 6. h. t. in quo continetur iste casus: Præpositus Ecclesiæ *Lausanensis*, electus fuit in Episcopum *Sedunensem*; ex quo factum est, quòd illa præpositura tam diu vacaret, ut ejus collatio tandem devoluta sit ad Pontificem, quo posito Thesaurarius *Lausanensis* supplicavit Pontifici pro conferendâ sibi supplicanti dictâ Præpositurâ, postulato annuit Pontifex constitutus ad hoc Executoribus Pontifici mandati. Verùm, cum isti mandatum exequi nollent, Episcopus *Sedunensis* (antea Præpositus *Lausanensis*) & Canonici *Lausanenses*, se opposuerunt, dicentes: à Thesaurario imperatum rescriptum seu mandatum illud Pontificium in præsens non habere locum propterea, quòd *Præpositura Lausanensis non vacaret*, ex hoc capite, quia licet is, qui antea Præpositus erat, in Episcopum Ecclesiæ *Sedunensis* electus fuisset, tamen post consecrationem suam denuo à Canonicis electus fuisset ad eandem præposituram, cum consensu Episcopi *Laudunensis*, & eam, sicut antea, ab ipso possideri: His non obstantibus Executores à Pontifice mandati, Præposituram *Lausanensem* (ut continebat mandatum) contulerunt Thesaurario, tanquam *vacantem de jure*.

814 Cum hæc proposita essent coram Auditore, à Papa in ordine ad hanc controversiam dato, Auditor, factum Executorum (quoad collationem dictæ Præposituræ, Thesaurario *Lausanensi* decretam) irritum, & inane pronuntiavit propterea, quòd literæ per Thesaurarium impetratæ à Sede Apostolica, fuerint *subreptitiæ* propter expressionem falsi, & veri suppressionem; siquidem Præpositura illa, & si *de jure*, non

tamen *de facto* vacabat, alio adhuc existente in possessione; Cum constet, possessionem plus facti habere, quam juris; quam sententiam Auditoris Innocentius III. approbavit, mandans Episcopo *Basilienfi*, & Abbati *S. Mariæ*, ut Episcopum *Sedunensem* ad resignationem Præposituræ, si sponte noluerit, compellant, nisi ostenderit, illam sibi ex speciali indulgentia Sedis Apostolica, vel ex alia justa, & necessaria causa, post consecrationem suam, fuisse collatam. Quibus prænatis.

*¶* 1. ut beneficium impetrari, & conferri possit, inspicere, quòd *vacet de facto, & jure simul*, colligitur ex c. *Nulla*. 2. h. t. ubi dicitur, nulla beneficia Ecclesiastica, vel Ecclesias *tribuendas*, seu *promittendas esse, antequam vacent*; ergo tribui poterunt, ubi jure, & facto vacant, cum hac ratione maximè verificetur *vacatio*, loquimur autem in præsentem de impetratione, & collatione beneficii, *attenta solâ qualitate vacationis*, ex alio enim capite imperatio, vel collatio beneficii impediri potest, puta, si sit reservatum, affectum, patronatum, electivum, litigiosum &c.

*¶* 2. beneficia vacantia *solum de facto* nec impetrari, nec conferri posse; nam iste modus vacandi in jure non habetur *pro vacatione* in ordine ad dictum juris effectum; quod probatur 1. ex c. *Abbas*, de his, quæ vi; ubi, postquam Abbas *S. Cadmundi* Clericum *R.* metu amittendi patrimonii coëgisset, ut possessioni suæ Ecclesiæ cederet, & hæc cessione coactâ dictam Ecclesiam alteri concessisset; re cognitâ Alexander III. mandavit, Clericum Ecclesiæ suæ, à cujus possessione vi conditionali, seu metu, dejectus fuerat, restitui: *quia, quæ metu, & vi fiunt, de jure debent in irritum revocari*, Clerico adhuc gaudente jure suo, ut constabit ex n. seq.

Secundo ex c. *ad aures*. 3. eod. ubi, cum Coelestinus III. interrogatus esset, an, si electus in Plebanum Ecclesiæ, ad terrorem Laicorum renuntiavit electioni, de se factâ à Clericis unanimiter, uno solum excepto, nihilominus tali Ecclesiæ præficiendus sit? Pontifex respondit: quòd renuntiatio factâ ad terrorem laicorum (nisi fortè juramento, vel fide interpositâ continata) non impedit, *quominus is, qui renunciavit Ecclesiæ, ad cujus regimen prius erat electus, præficiatur eidem*.

818 Tertio ex c. *Ad adientiam* 4. cod. ibi: Cum Magister G. de Chevel questus esset Innocentio III. quod, cum Ecclesiam de Chevel Canonicè fuisset adeptus, & aliquamdiu pacificè possedisset, *gravissimo tandem metus regis*, quod eam resignaret, jurare coactus, eam in eorum, ad quos pertinebat, manibus resignavit, rescripsit Decano, & Subdiacono Linconienfi Pontifex, quia, *quæ vi, metusve causâ sunt, carere debent robore firmitatis*: mandamus, quatenus, *si eundem ad resignationem confiterit vobis per talem metum fuisse coactum, qui potuerit, & debuerit, cadere in virum constantem, non obstante juramento predicto*, quo non ad repetendum, sed ad resignandum solummodo tenebatur, *præfatam Ecclesiam ei restitui faciatis*. Ex his juribus aperte habetur, quod licet in datis casibus Ecclesiæ illæ vacaverint *de facto tantum*, alteri tamen dari non potuerint, sed restitui injustè à possessione sua dejecto.

819 R. 3. beneficia, quæ quidem vacant *de jure, sed non de facto* (altero nimirum adhuc retinente possessionem saltem coloratam,) impetrari posse factâ mentione possessionis adhuc penes alterum existentis; non autem hac mentione omisâ; iste est casus c. *Cum in nostris* 6. h. t. ubi, cum Præposito Lausanensi ad Episcopatum Sedunensem electo, adeptâ possessione pacificâ Episcopatus, illa præpositura *ipso jure* vacasset, & Thesaurario Ecclesiæ Lausanensis per delegatos ex rescripto Pontificio præpositura fuisset adjudicata, horum factum Pontifex eo solum titulo reprobavit, *quod Orator*, nempe Thesaurarius ille, *omiserit mentionem, quod novus ille Episcopus adhuc esset in possessione, etiam solum colorata*; unde rescriptum tacurnitate veri vitium, nullam delegati jurisdictionem, illi Præposituram conferendi, consequi potuerunt, ut plenius constat ex casu à n. 318. relato.

820 Præter dicta not. 1. tunc dici Clericum in possessione *colorata* beneficii existere, si beneficium accepit à legitimo Collatore, & institutio, sive collatio notoriè non sit irrita, licet jus, ac titulus illius non subsistat propter obcultum defectum; si quis autem beneficium propriâ autoritate accepit, sive absque legitimi Collatoris consensu, is pro *intruso*, & manifestè injusto

possessore habendus est: ideoque, de tali in justa possessione in rescripto non debet necessariò fieri mentio; quia, etiamsi illa expressâ fuisset, Papa non solum non tardius, sed potius facilius dedisset literas, in quibus alteri concessi & beneficium, ne ille notoriè intrusus diutius illud retineret. Sic Abbas *inc. 6. h. t. n. 16.*

Not. 2. licet in casu Lausanensis Præpositi ad Episcopatum Sedunensem electi, post hujus pacificam possessionem illa præpositura ipso jure vacaverit; non tamen ipso jure vacasse Episcopatum Sedunensem; postquam Episcopo iterum collata fuit Præpositura Lausanensis, etiam istius pacificâ possessione obtentâ; hujus ratio est, quia licet in c. *de multa* 28. *de præbend.* dicatur prius beneficium ipso jure vacare, postquam quis cum pacifica possessione obtinuit dignitatem, vel personatum; & in dato casu Episcopus accipiendo deinde iterum Præposituram, acquisiverit hanc dignitatem, non propterea vacabit Episcopatus; quia *Episcopatus, in odiosus, non venit nomine beneficii*, vel dignitatis, consequenter non vacat, esto accipiat illam Præposituram etiam sine dispensatione in pluralitate beneficiorum; quamvis per hoc non sequatur illum habere possessionem secundi beneficii *justo titulo*; cum in beneficialibus, etiam sine illo, dari possessio, *sed non justa*.

Not. 3. si quis plura beneficia incompartibilia *jure resistente* possidet, posse Superiorem ejus ab illo exigere, ut doceat *de legitimo titulo*, per c. *Ordinarium* 3. *de Offic. Ordinar.* in 6. ibi: Ordinarium locorum subditos suos *plures dignitates*, vel *Ecclesias, quibus animarum cura imminet*, obtinentes, seu personatum, aut dignitatem cum alio beneficio, cui cura similis est annexa, *distinctè compellant, dispensationes, auctoritate quarum hujusmodi Ecclesias*, personatus, seu dignitates *Canonice tenere se asserunt, intra tempus, profacti qualitate ipsorum Ordinariorum moderandum arbitrio*, exhibere; quod si fortè justo impedimento cessante nullam dispensationem infra idem tempus contigerit exhiberi, Ecclesiæ beneficia, Personatus, seu dignitates, quæ sine dispensatione aliqua eo ipso illicitè detineri constabit, per eos, ad quos eorum collatio pertinet, *liberè personis*  
ido-

*idoneis conferatur.* Ex hoc enim textu deducitur, quòd possessor, etiam pacificus beneficii, teneatur probare, & ostendere titulum, cum Superior ex officio inquirat; sic Menochius *de presumpt. lib. 3. presumpt. 132. num. 46. cum seqq. Flamin. Paris. de resignat. benefic. tom. 2. lib. 11. q. 14. num. 35. cum seqq. Zerol. in praxi Episcop. p. 1. V. Bullæ, versic. ad quintum;* & alii.

823 Dices: hoc videri non posse procedere, quando talis ea beneficia, jure communi incompatibilia, pacificè possedit triennio ex regula de triennali, de qua egimus *num. 617. 3.* posse illum ab ordinario non obstante regula de triennali compelli ad ostendendum titulum, vel dispensationem, tradi à Flores de Mena *var. lib. 2. q. 23. num. 61. cum seqq.* licet enim per regulam de triennali, excludatur *tertius* inquietans in beneficio; non tamen excluditur *Ordinarius*, ut resolvit Perez *lib. 3. tit. 16. lib. 8. ordin. p. 327.* tituli enim beneficiorum non acquiruntur *prescriptione.*

824 Not. 4. ex hoc, quòd beneficium vacet *uno modo vacandi*, adhuc fieri posse, non vacare *simpliciter*; nam licet habens præbendam, vel beneficium in una Ecclesia post hujus pacificam possessionem, recipiat alterum in eadem Ecclesia priori simile, vel majus, incompatible cum priori, illud vacet *ipso jure*; Si tamen talis, nec primum à sua possessione dimittat, vacabit quidem de jure, sed non de facto; prout colligitur ex *c. literas. 9. h. t.*

825 Dices: ergo in hoc casu poterit quis impetrare tale beneficium vacans *de jure*, sed *non de facto*, licet nullam in supplicatione faciat mentionem, quòd nondum vacet *de facto*; hoc autem videtur non posse admitti propter apertum exemplum in contrarium in Thesaurario Ecclesiæ Lausanensis, cui non profuit impetratio Præposituræ illius Ecclesiæ, etiam impetrato rescripto Pontificio pro eadem; quia, licet vacaverit *de jure*, mentionem tamen omisit, quòd non vacet *de facto*, ut constat ex *dict. à num. 821. 3. C.* illatum; Sed nego in præsentem ob stare dictum exemplum. Nam rescriptum illud propterea non profuit Thesaurario pro ea Præpositura, non, quòd in supplicatione utcumque non fecerit men-

tionem de possessione Præposituræ, quæ possessione *facti* erat tunc penes antecessorem; sed quòd non fecerit mentionem de possessione illius, *quæ facti*, sed *ex titulo colorato* erat tunc apud antecessorem: ad in casu c. literis possessio primi beneficii vacantis quidem *de jure*, & adhuc facti possessi à beneficiato, nec ex justo, nec ex *colorato* titulo possidebatur; ergo.

Dices 2. Clericus H. de quo in *c. Lite- 826 ras*, æquè habebat possessionem *coloratam* prioris præbendæ Canonicalis, quam retinuit post pacificam possessionem acceptæ Præposituræ in Ecclesia S. Viscondi, cui annexa erat alia præbenda canonicalis, ergo, ant. prob. quia Archiepiscopus Bremensis illum Clericum H. investivit in Præpositura, & præbenda ei annexa, eundemque etiam in priori præbenda canonicali cum consensu Canonicorum communicavit; ergo utrumque *colorato titulo possedit. 3. N. ant. ad prob. anteced. N. conseq.* Nam nullus Episcopus dispensare potest, ut Clericus in eadem Ecclesia habeat duos Canonicatus, vel præbendas, per *c. literas 9. h. t.* ergo ex illa investitura, & confirmatione per Archiepiscopum facta super utraque non potuit obtinere titulum possessionis *coloratum*: at in exemplo allato de Episcopo Verdunensi non est casus de 2. præbendis in eadem Ecclesia, ut constat *à num. 613.* ergo.

Not. 4. quando in *c. Cum nostris 6. h. t. 827* dicitur, quòd possessio plus habeat facti, quàm juris, aliquos deducere, in possessione *factum* esse principalius, *jus* verò solum concomitanter, coadjuvando scilicet, & fovendo factum illud; alios tamen hoc negare, ac cum Bartolo in *L. si is, qui pro emptore. ff. de usucap. a. u. 10.* distinguere triplicem, aut quadruplicem possessionis modum; aliam enim dicunt possessionem, quæ *plurimum habet facti, & parum juris*, aliam, quæ *plurimum habet juris, & minimum facti*; (aliam, quæ *plurimum habet juris, & facti*) aliam, quæ *plurimum habet juris, nihil facti.*

Not. 5. possessionem, quæ *plurimum 828 habet facti*, juxta Bartolum, ac ejus sequaces, esse illam, quam quisque per se ipsum acquirit, & retinet, prout est in textu dicti

disti c. *Cum nostris*, & L. *denique* A. ex quibus causis majores, ex quo inferunt, postliminio non contineri; possessionem, quæ habet plurimum juris, & minimum facti, esse illam, quæ per servum, vel filium familias ex causa peculiari ignorantia acquiratur juxta textum in L. 1. §. *item acquirimus*: Et in L. *quod servus*. 14. cum aliis. ff. de acquirend. possess. & in L. *Labeo*. ff. de usucap. & de hac agit textus in L. *possessio* 40. ff. de acquirend. possess. ibi: *plurimum ex jure mutuatur; plurimum juris & facti* habere dicitur possessio, quæ per procuratorem, vel aliam personam, vel etiam per filium ex causa non peculiari acquiratur, juxta text. in L. 1. C. de acquirend. possess. factum enim ibi reperitur filii, vel servi, vel alterius personæ, multum etiam operatur juris dispositio, ut indicant verba ejusdem L. 1. ibi: *tam ratione utilitatis, quam juris prudentiæ*. Plurimum juris, & nihil facti cam habere iniquiunt, quæ legis ministerio transfertur, absque facto ejus, cui acquiratur, ut in *constituto*, juxta L. *quod meo in princ.* ff. de acquir. possess. & in pluribus aliis casibus, quos latè præsequitur *Rebuff.* in *praxi. tit. de materiis possess.*

### ARTICULUS III.

*An collatio, vel provisio beneficii non vacantis jure valeat?*

829 **C**ommunis regula in ordine ad præsentem quæstionem hæc traditur, quòd *collatio beneficii non vacantis, ipso jure nulla sit*; ratio sumitur ex c. 1. *h. t.* ibi: *qui in virorum sacerdotum loco ponuntur, hoc ipso sunt ac Ecclesiastica communione pellendi, quo se passi sunt successores, viris sacerdotibus adhiberi*. Unde, quiscenter se in illo institui, vel confirmari patitur, aut collationem acceptat, est ab Ecclesiastica communione removendus, hoc est à participatione Corporis, & Sanguinis Christi. *cit. c. 1.* ibi: *qui in virorum, junct. Gloss. V. communione, ac in super ex illo deponendus, Gloss. ibid. V. Pellendi*: cui consentit c. *in primis* 2. q. 2. ubi, cum Episcopus beneficium *vivi possessoris*, seu *beneficarii* alteri contulisset, Gregorius Papa, de Episcopi supra dicti persona, inquit, hoc

Tom. III.

statuendum est, ut si nulla contra eum criminalis causa, quæ exilio, vel depositione digna est, mora, sive probata est, is, qui eo superstite perversè, ac contra Canones in Ecclesia ejus ordinari præsumpsit, sacerdotio privatus, ab omni Ecclesiastico ministerio repellatur; & 7. q. 1. c. *Eum, qui* 40. Ubi Gregorius Pontifex ait, *eum, qui contra justitiæ regulam in Archidiaconatum alterius se proveli consensit, ab ejusdem Archidiaconatus honore deponimus; quia, si ulterius in loco eodem ministrare præsumpsit, se participatione Communionis Sacrae noverit esse privatum; nec, cum verè vacaverit, illud deinceps obtinere potest sine dispensatione Papæ, & sitalis intrusionis in supplicatione mentionem non fecit, dispensatio irrita sit, quia subreptitio est*; c. *final.* de eo, qui duxit c. 20. & 27. de *rescript.* ratio autem sumitur ulterius ex c. *Tue* 20. de *præbend.* ubi dicitur, quòd non teneat electio, quando duo ad unam præbendam simpliciter eliguntur.

Ratio redditur, quòd duo eandem præbendam obtinere non possint, ne quidem sic, ut unus eorum ipsam obtineret, & alius sub expectatione: ex hoc deducitur non tantum collationem beneficii nondum vacantis invalidam esse ipso jure; sed etiam præsentationem, ac institutionem; electionem, ac confirmationem, alias enim illud unus posset obtinere actu, alius saltem in expectatione contra clarum textum in dict. c. *Tue*; & quoniam decisio contenta in hoc c. *Tue* fundatur in Concilio Lateranensi, contra etius decreta, & Canones nihil possunt Prælati cujuscunque dignitatis, Papæ inferiores, ut ostendimus l. 1. tit. 2. de *Constit.* 1. Nullus Episcopus jure suo ullum in beneficio *viventis instituire, confirmare, vel intitulare poterit validè, defectu potestatis ad taliter instituendum, confirmandum, aut intitulandum de jure requisita*

Dices: ergo nec poterit Episcopus admittere renunciationem beneficii, factam à resignante in favorem tertii, si iste ad eam eligatur, vel præsentetur? R. 1. concedendo illatum, si talis admissio deducatur in pactum, ut constat ex dict. alibi. R. 2. admittendo illatum, etiam secluso tali pacto, si resignatio sic sit conditionata,

Bb

ut



ut resignans nolit eam valere, si illi Tertio non fiat collatio, vel provisio in tali beneficio; res enim videtur clara; quia sic aperte fieret illi tertio provisio in beneficio *non vacante*. Nam beneficium in dato casu prius non vacat, *quàm impleta sit conditio*, nimirum, *quòd Tertio in eo sit provisum*; Cum ergo conditio, consequenter provisio, prius impleri debeat, quàm valeat resignatio, atque adeo priusquam vacet beneficium, eo ipso prius alteri eo esset provisum, saltem expectatione prius impleta, quàm vacet beneficium, atque talis provisio est iure nulla, & irrita ex *præced. n. ergo*.

Dices: 2. consuetudinem esse in contrarium. R. non sufficere, hoc præcisè allegari; multa enim fiunt, quæ facta non tenent, & ab Ecclesia quandoque tolerantur, non approbantur, ne quid ulterius fiat propter multitudinem peccantium, ut manifestum est ex alibi dictis claro iure fundatis. 2. non qualibet consuetudo relevat, sed legitime inducta, & ex actibus antecedenter legitime factis probatur. 3. quia, tamen si fortè in una diocesi hoc obtinuerit consuetudo, id tamen non propterea commune esse aliis, ut evidens est in præscriptione, quæ obtenta in uno loco, vel ad exercitiùm jurisdictionis quoad unum actum non propterea porrigitur ad quemlibet locum, vel quemvis actum talis jurisdictionis. 4. quia (ut mihi rerulit vir juris peritus, professione Religiosus, aliquot annis Romæ versatus) plurimæ tales resignationes summo Pontifici eo tempore propositæ sunt, nullâ admisâ, quòd Ecclesiæ Constitutionibus profus contrariæ essent, quod aperto etiam iure constat ex c. *detestanda. 2. h. t. in 6. de quo infra num. 843.*

832 Sed nec promitti possunt beneficia Ecclesiastica, *antequam vacent*, ex claro textu c. *Nulla. 2. h. t. ibi: Nulla Ecclesiastica Ministeria*, seu etiam beneficia vel Ecclesiæ tribuantur alicui, seu promittantur, *antequam vacent: ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cuius locum, & beneficium se crediderit successurum; cum enim in ipsis etiam legibus Gentilium invenitur inhibitiuum, turpe est, & divini plenum animadversione iudicis, si locum in Ecclesia Dei future successionis expectatio habeat,*

*quam ipsi etiam gentiles condemnare curarunt.* Deinde, cum quidam Clericus, post litem contestatam in causa beneficii, dum nondum vacaret, sibi promissi ab Abbate, & Monachis, chartam quandam Monachorum exhibuisset promittentem, quòd primam Ecclesiam, ad collationem spectantem, assignabunt illi: definitè respondit Innocentius III. quòd *promissio prædicta non teneat, ut potè contra statuta Lateran. Concilii attentat*; mandavitque, quatenus delegati memorato Clerico super hoc silentium imponentes ab imperione ipsius dictos Abbatem, & Monachos absolvant; prout habetur in c. *Extensore. 13. h. t.*

Dices 1. si beneficia, *nondum vacant* 833 *conferri, aut promitti non possent*, sequitur, quòd Episcopi non possint beneficia, *vivis eorum possessoribus, unire alteri Ecclesiæ, Collegio, aut Capitulo*: sed sic est, quòd possint similes uniones facere c. *Consultat. de donat. c. Cum venissent, & ibi Glossa v. Retinebat. de restit. spol. Clement. unic. de rebus Ecclesiæ* igitur, quia beneficia *nondum vacantia conferri, aut promitti possunt.* R. N. Ma. Nam ex unione beneficii, facta loco Religioso, non oritur ratio captanda mortis alienæ; cum fiat unio ad tales, quorum nullus in particulari habet jus reale in beneficio unito.

Dices 2. equalis ratio militat, si benefici- 834 *cium viventis conferatur, ac si beneficium promittatur, cum facultas se obtulerit*; Siquidem, qui gratiam hanc assequitur facile in votum caprandæ mortis alienæ incidet: sed beneficium *promitti potest, cum facultas se obtulerit c. accedens. 14. h. t.* igitur, quia beneficium *nondum vacans promitti potest.* R. N. Ma. discrimen assignat ipse Pontifex in c. *Accedens. 14. h. t.* Nam cum quidam Clericus Pontifici exhibuisset, sibi à Prælato talis Ecclesiæ promissam esse beneficii collationem, *cum primam poterit*: respondit: Nos attendentes, quòd *aliud est Prælatum promittere beneficii collationem cum poterit*; aliud, *cum vacabit*: cum in multis casibus se facultas offerre possit, in quibus collatio non esset in expectatione *vacaturi beneficii* differenda; hinc illis, qui taliter promiserunt, mandavit quatenus memorato Clerico (cum

(cùm poterint) Ecclesiasticum benefici-  
um assignet.

835 Ex hoc deducitur, aliam esse *promissionem providendi de beneficio, quando poterit*; aliam, *de beneficio vacaturo*: seu, quando *vacabit*: illa est promissio solum *generalis*; & non specificè *de vacaturo*, cùm in multis casibus facultas se offerre possit, in quibus collatio non esset in expectatione vacaturi beneficii differenda, ista verò foret specialis, & induceret expectationem collationis *differendæ*, consequenter contingeret, quòd duo haberent unam, ac eandem præbendam, unus *actu*, alter *in expectatione*, contra c. *Tue. 20. de præbend. de quo supr.* hęc distinctio observatã patet etiam ratio, cur promissione, quam fecerunt Monachi, (de qua in c. *Ex tenore. 13. h. t.*) fuerit rejecta; & ista, quam fecit Prælatus (de qua in c. *Accedens 14. eod.*) fuerit admittã, nam hęc fuit promissio provisionis *solum in genere*, quando poterit, illa verò *specificè de vacaturo*, sic Barbof. in c. *Ex tenore. V.* quod dicemus infra à num. 839.

836 Dices 3. si beneficium, *nondum vacans, promitti* non possit expressè, nec poterit etiam tacitè; cùm eo casu etiam detur occasio captandæ mortis alienæ: sed tacitè, *beneficium nondum vacans*, rectè promittitur, cùm quis recipitur in Canonicum absque præbenda, nam præcisè præbenda proximè vacatura illi debetur, c. *Cùm M. de Constit. c. Relatum. c. dilectus. de præbend. c. si postquam 13. eod. tit. in 6.* & certò scit Canonicus ita receptus præbendam proximè vacaturam illi deberi, unde facilè habebit votum captandæ mortis alienæ, & nihilominus talis receptio in Canonicum sine præbenda, sub spe futuræ vacationis, licita est: ergo quia beneficium nondum vacans promitti potest. R. datã maf. de promissione ab *homine*, sed non, si fiat à *lege*: quando autem quis recipitur in Canonicum, esto per consequens ei debeatur præbenda proximè vacatura, debitum fundatque *in lege*, non *in hominis promissione*, cùm quis possit esse Canonicus, & non præbendarius, licet supposito Canonicatu, *lege* constitutum sit, ut eidem etiam de præbenda provideatur, sic Vicarius generalis, ab Episcopo constitutus, Vicariatum habet

Tom. III.

ex libera Episcopi constitutione; hęc tamen suppositã, potestatem non habet ab Episcopo, sed à *lege*. Sed V. n. 844. quid etiam de hac clausula tenendum jure novo.

Dices 4. in c. *Exposuit. 4. c. Constitutus 11. h. t. c. Ex parte. 12. de offic. deleg. c. 2. de præbend. in 6.* desertè dicitur, *validè, & licitè posse beneficia vacatura promitti*: igitur non rectè in præsentì statuitur, beneficia, *nondum vacantia, promitti non posse.* R. 1. in dicto c. *Proposuit* agi solum de provisione beneficii, antecessore adhuc vivente, *mandato Papæ*, qui (ut ait textus,) secundum plenitudinem potestatis de jure potest supra jus dispensare. R. 2. mandatum illud papale, & provisionem exinde factam, non fuisse de præbenda *vacatura*, sed *vacante*, ut constat ex textu ibi: *licet autem intentionis nostre non sit, investituras de vacaturis, factis contra Canonum instituta, ratas habere*; attendentes tamen, quòd idem Presbyter *non de vacatura*, sed *de vacante per Prædecessorem nostrum fuit investitus*, utpote, quæ post cassationem concessionis à vobis factæ intelligebatur *vacare*, mandamus quatenus, amoto ab ea præbenda quolibet detentore, eam ipsi cum plenitudine honoris Canonici assignetis.

Ad c. *Constitutus. 11. h. t. 13.* ex illo nihil deduci in favorem objectionis factæ, Nam ibi non dicitur, quòd Episcopus possit, vel ipse conferre, aut promittere, beneficia *proximè vacatura*, aut hanc potestatem alteri delegare, seu committere, quamvis talem delegationem ab Episcopo Landunensi factam Pontifex, *pro illa vice* dissimulaverit, strictè prohibens, ne id deinceps fiat; ut patet ex litera ibi: *quia verò concessiones tales (si ad consequentiam traherentur) fieri possent in fraudem Canonice Sanctionis, per quam prohibentur Ecclesiastica beneficia concedi, si ve promitti, antequam vacent*, nolimus, quòd, hujusmodi occasione mandati, quod gratiam continet personalem, fraudem adhibere volentibus, licentia conferatur. Per hoc tamen non prohibetur Episcopis committere aliis potestatem providendi beneficiis, *postquam vacant.*

Ad c. *Ex parte 12. de offic. delegati. 839* R. ibi solum agi de provisione per gratiam expectativam, *factam à summo Pontifi-*

Bb 2

cc,

ce; consequenter nihil probari ad intentionem, quod idem possint inferiores illo; Pontifex enim propter supremam auctoritatem, & plenissimam in beneficialibus distributionem, potest beneficia nondum vacantia promittere, & in eis jus expectativa conferre, c. *cum te* 7. c. *Constitutus*. 19. c. *Mandato*. 38. c. *in literis*. 39. cum seq. de *prescript.* & ideo etiam beneficium *litigiosum*, quod conferri non potest c. 2. *ut lite pend.* in 6. utiliter Pontifex confert. *Clement.* 1. *in fine cod. tit.* & cum beneficium sui naturam conferri debeat *in perpetuum*, c. *Sanctorum*. 70. *dist. c. unic. de Capell. Monach.* in 6. *ad tempus* Pontifex rectè conferre potest c. *si gratiosè de rescript.* in 6.

Quia tamen æquius est, Pontificem non imperiorantem, sed etiam exemplo ceteros Episcopos in officio continere, inde provenit, ut plenissima potestas, quam in causis beneficialibus Pontificem habere docetur *in c. 2. de præbend.* in 6. non pro libitu suæ voluntatis, sed secundum justitiam, & æquitatem exercent, ut constat ex c. *Proposuit h. t.* de quo plura Sanchez *l. 2. matr. d. 13. an. 3.* Et ideo hodie sublata sunt huiusmodi literæ expectativæ per Concilium Trident. *sess. 24. de reformat. c. 19.* ex ratione adducta in præsentibus, videlicet ne deur votum captandæ mortis alienæ.

840 Ad c. 2. *de Præbend.* in 6. nec ex illo probari, quod ullus Prælati Ecclesiasticus, *Papæ inferior*, jure suo ordinario conferre, aut promittere possit beneficia *vacatura*, & *nondum vacantia*; nam textus expressè loquitur de casu specialis tantum promissionis alicui factæ a *Papæ*; ibi: statuimus, ut Ecclesias, dignitates, Personatus, & beneficia, quæ apud sedem istam deinceps vacare contigerit, aliquis *præter Romanum Pontificem*, quacunq; super hoc sit auctoritate munitus, sive jure ordinariæ potestatis ipsorum electio, provisio, seu collatio ad eum pertineat; sive literas super aliquorum provisione generales, vel etiam speciales sub quacunq; forma verborum receperit (*nisi sit super conferendis eisdem in Curia Romana vacantibus specialis, & expressa, ab ipso Pontifice summo, auctoritas attributa*) conferre alicui, seu aliquibus, non præsumet.

Dices 5. in c. *Dilectus*. 21. *de jure patronat.* habetur, reservationem præbende, *proximè vacaturæ*, factam a *Legato a latere*, utilem, & ratam esse: igitur idem dicendum est in promissione beneficii *non vacantis*, cum reservatio, præsertim in Commodum certæ personæ, promissionis vim obtineat. *32. N. conseq. ad prob.* 32. negando, quod reservatio beneficii, *cum vacaverit*, contineat vim promissionis. Nam *reservatio* nulli constituit jus ad beneficium, *cum vacaverit*, ut conferri non possit, cui vult reservari, *promissio* autem promissario, eam acceptanti, constituit jus ad beneficium, *cum vacaverit*, ut conferri non possit, cui vult promittens, sed conferri debeat promissario; quod verum est etiam de reservatione in Commodum certæ personæ, nam adhuc reservans etiam taliter potest conferre alteri, nullâ intimatione factâ tali personæ de reservatione in ipsius gratiam.

Demum, non solum collationes, & 842 promissiones beneficii non vacantis jure nullæ sunt, ac irritæ; sed ipsæ etiam promissiones, vel provisiones, quæ fiunt a Patronis de præsentando ad beneficium, si fiant, *antequam vacet*, habentur ex c. *Cum dilectus* *in h. t.* ubi dicitur, quod, sicut non potest Patronus promittere se præsentaturum aliquem ad beneficium vacaturum, ita nec dare potestatem præsentandi, antequam beneficium vacet. Cum enim Comitissa Flandrensis fecisset promissiones *de non vacantibus beneficiis Ecclesiarum*, in quibus jus obtinebat patronatus, & donationes eorum in manibus possideret alienis; re intellectâ Honorius III. mandavit Episcopo, & Capitulo Cameracensi, quatenus id irritum decernerent inhiere eidem, ne similia de Castero attentare præsumat.

Confirmari possunt hæc dicta ex c. 843 *Detestanda*. 2. *h. t. in 6.* ubi *omnis promissio, per quam datur via ad beneficia vacatura, repræbatur*, cujus rationem reddit Bonifacius VIII. *in dict. c. 2. dicens*: licet olim fuerit Canonica constitutio decretum, quod ii, qui promittunt aliquibus de beneficiis Ecclesiasticis, *cum poterunt*, vel *cum facultas se obtulerit*, providere, promissiones suas (facultate se offerente) debeant adimplere; *quia tamen, sicut experientia docuit*, per promissiones huiusmodi, quæ per importunitatem

nimi-

nimiam, per quam, non concedenda, multoties conceduntur, & per ambitionem improbatam, ut plurimum extorqueantur, aperitur via subtili palliatione verborum, ad promittenda damnabiliter contra Lateranense Concilium beneficia vacatura, mortis alienæ votum ingeritur, & Ecclesiis, ac Prælati, & personis Ecclesiasticis gravamina plurima inferuntur: Nos, malis hujusmodi, & animarum periculis occurrere cupientes, promissiones easdem, & alias quascunque, sub quovis modo, aut formâ verborum, de cætero faciendas, per quas directè, vel indirectè aperiri via valeat ad beneficia vacatura, auctoritate Apostolica penitus reprobamus, & omnino viribus vacuamus, decernentes, per eas, vel ipsam aliquam, ad providendum alicui nullum deinceps quomodo libet obligari.

844 Ex hoc textu sequitur, quod, licet antiquo jure decretalium permissa fuerit promissio de beneficio conferendo adjecta clausula: *cum potero*, vel *cum se facultas, aut occasio obtulerit*, ut constat à n. 836. jure tamen novo decretalium, etiam illam promissionem non obstante illa clausula, imò quavis aliâ, per quam via directè, vel indirectè aperitur ad beneficia vacatura, esse prohibitam, & invalidam ex claro textu Bonifacii VIII. in proximè relato c. *Detestanda*, ubi tamen nota, Constitutionem istam esse antiqui juris *correptoriam*, non autem declaratoriam, adeoque non extendi ad promissiones ante illam factas, sed tantum futuras, deinde illam loqui solum de actu, quo promittitur præbenda simpliciter, non autem eo, quo alicui conceditur aliquid, cui dispositione juris annexa est præbenda, qualis est receptio alicujus in Canonicum, ut supra dictum est.

#### ARTICULUS IV.

De reliquis ad hunc titulum pertinentibus.

845 PRO ulteriori præmissorum explicatio-  
ne not. i. poenas, de quibus n. non incurri ab eo, qui passus est se institui in beneficio viventis, ignorando, illud non vacare legitime; nam sic non est in eo culpa, &c. in primis. 2. q. 1. §. de Episcopi, ad poenam depositionis exigit, quod

in viventis Ecclesia se institui præsumpserit; quod etiam habetur in c. *Eum, qui*, 7. q. 1. ibi: qui in alterius loco eodem ministrare præsumpserit. Not. 2. non incurri ab eo, qui viventi succedit, ex justa causa deposito, Glossa fin. in c. 1. h. t.

Not. 3. quando dicitur, quod promissio beneficii, non vacantis, involvat votum mortis alienæ, non intelligi, quod id habeat ex natura rei, & causaliter (aliàs enim nec à summo Pontifice promitti posset beneficium nondum vacans) sed tantum occasionaliter; occasio autem ex natura rei stare potest sine occasionato; quamvis summi Pontifices etiam occasionem velint remotam in his, qui vel recipiunt, vel provident Ecclesiastica beneficia. Et quamvis per scripturam rectè probetur facta beneficii promissio, non tamen rectè probatur valida, ut constat ex c. *ex tenore*, de quo supr.

Mot. 4. quamvis ex c. *Cum super*, 8. h. t. 847 rectè probetur, Clerico recepto in Canonicum alicujus Ecclesiæ promitti posse, quod illi etiam providebitur de præbenda, cum se facultas obtulerit, hanc tamen promissionem jure novo c. *Detestanda*, de quo n. 843. non prohiberi, ex num. 844. nec exinde ab illa rectè fieri argumentum ad promissionem simpliciter de concedendo vacaturo, cum debitum præbendæ in primo casu procedat à provisione legis, non in secundo, ut diximus superius.

Not. 5. quando dicimus beneficium non vacans, nec conferri, nec promitti posse, id intelligi etiam de quovis alio beneficio qualificato, quale est beneficium, cui annexus est personatus, officium, vel dignitas Ecclesiastica ex dict. c. *Detestanda* in num. 843. & c. *post electionem*, 7. h. t. ubi expressè sermo est de Archidiaconatu, alteri, cum nondum vacaret, concessio, ut supra expositum est.

Not. 6. quando beneficium, legitime collatum, beneficiatus renuntiare, seu dimittere, quoad possessionem per gravem, & injustum metum, extrinsecus incussum, directè ad extorquendam ejusmodi dimissionem, coactus est, posse illum nihilominus agere ad possessionem recuperandam, non obstante, quod alter interea in eo institutus sit; nec actionem ejus, exceptione facta renuntiationis in judicio elidi, prout habetur ex dict. *suprà* h. t.

Bb 3

Not.

Not. 7. Legatos à latere, post concordata Germania inter Nicolaum V. suo, & Successorum nomine, ac Fridericum III. Imperatorem, aliosque Principes, & Prælatos Germaniæ, ex altera parte circa beneficia non reservata, sed subjecta provisioni Ordinariorum, probabiliter nihil posse in Germania, ea suæ provisioni reservando, prout aliàs possunt de jure communi; si enim Pontifex in vi eorum Concordatorum ipse statuit, ac promisit, se nolle in illis provisionem Ordinariorum impedire *preveniendò*, vel *reservando*, nequit non esse valde prudenter credibile, nec Legatos id posse contra expressum verbum Papæ, talis autem promissio habetur in Concordatis Germaniæ, *s. in Cæteris verò, de quibus à n. 566.*

849 Not. 8. quamvis aperti juris sit, promissiones beneficiorum, etiam *sub clausula generali* (quando potero, vel, cum se obtulerit occasio) esse non tantum illicitas, sed etiam irritas, ac nullas jure novo decretalium, ut constat ex c. *detestanda*, relato supr. posse tamen distingui *promissionem* in eam, quæ supplicanti faciat *solam spem* obtinendi beneficium, quòd vacaverit;

vel si vacaverit; aut etiam *jus ad rem* in promissario, & obligationem saltem naturalem in promittente: (unde, cum etiam nostris temporibus frequenter contingat, quòd etiam homines, Deum timentes, & probi, verbo, vel scripto promittant supplicantiibus, se, cum poterunt, gratificaturos, eosque voti compotes facturos, & vacante tali, vel tali beneficio neminem alium promoturos, censet E. Wagnereck. in c. *Nulla. 2. h. t.* promissionem *primo modo* sumptam, qua scilicet *sola spes*, non *autem res*, vel *ullum jus* tribuitur, non comprehendi sub constitutione Bonifacii VIII. in dicto c. *Detestanda*. Sed an hæc *puritas intentionis*, se non obligandi, nec alteri etiam *jus personale & beneficium* constituendi, non frequenter maculetur, præsertim, quando à Magnatibus, Patroni inferiores, (puta Domini ei temporaliter subditi, vel Monasteria virorum, aut Monialium habentium Patronatum certarum Ecclesiarum) requiruntur, ut tale beneficium promittant huic, vel illi quos commendant, ii noverint, qui promittunt, & qui ad tales promissiones inducunt.

## QVÆSTIO IX. IN TIT. IX. NE SEDE VACANTE ALIQUID INNOVETUR.

850 **C**Um hætenus egerimus de modo, quo Ecclesiis providendum sit in casu, quo illis Clericus, qui in eis ex officio divina peragat, præficiendus est, ac id regulariter penes Episcopos, & Prælatos Ecclesiarum, quibus id jus, ratione suæ dignitatis, vel muneris competit, resideat: quæstioni, quæ fieri posset, quid agendum, si talis Ecclesia esset viduata, hoc est, careret tunc Prælato (ut si obiisset &c.) & occurreret casus, quo alicui Ecclesiæ inferiori de Rectore novo, vel beneficiato providendum foret? hoc titulo responderetur. Per *sedem* hic intelligitur sedes Episcopalis, vel alia Prælatura, aut dignitas inferior cui facultas conferendi beneficia, vel alia jurisdictio competit, sic *Gloss. in c. 1. de reb. Eccles. non alien. in 6. V. Ecclesia*. Per *vacantem*,

seu *vacationem venit*, qualibet vacatio *sedis*, sive per mortem, sive per renunciationem, translationem, aut modum alium, quo titulus, seu jus Prælaturæ amittitur, sic *Gloss. in c. univ. h. t. in 6. V. mortuo*: imò Hortiensis in summa *h. t. n. 2.* id extendit ad vacationem beneficii solum *interpretativam*, quando scilicet Episcopus, vel Prælatus *de jure est inutilis* ad agendum; ut, si sit hæreticus, excommunicatus, suspensus &c. tunc enim dicitur vacare *interpretativè*. *Sedes* igitur *vacans* hic intelligitur qualibet Ecclesia Cathedralis, Collegiata, vel etiam Conventus Regularis, habens rationem Capituli, & carens Antistite suo, & hæc vacatio durat, dum ei de novo provisum sit: quæstio igitur est, penes quem in casu *sedis taliter vacantis* potestas, & jurisdictio sit?

ARTI-